

Smus D. Leo XIII Apostolicam Benedictionem populo impertiri concessit die 12 Decembris in B. M. V. de Guadalupe Collegiata Ecclesia ad Tepeyacatl. (1)

ARGUMENTUM DUODECIMUM.

Specialiter pertinens ad illud quod in miraculo Apparitionum permanens fuit.

Judicio peritorum virorum, qui juxta scientiae, et artis leges, Imaginem B. M. V. de Guadalupe inspexerunt, ipsa Imago supernaturaliter depicta fuisse probatur.

Non semel examini, et judicio peritorum hominum subjecta fuit Sacra Imago B. M. V. de Guadalupe, ut illi, quid de ipsa Imagine juxta scientiam et conscientiam suam judicarent, ingenue testarentur.

Anno 1666, cum testium interrogatione et dictis procederetur ad Apparitionis B. M. V. de Guadalupe veritatem juridice stabiliendam, conveniens visum est ipsam Imaginem a viris peritis inspicere, ut horum judicium ad veritatem Apparitionis juridice inquirendam inserviret. Septem ergo pictores electi sunt, scilicet, Presbyter D. Joannes Salguero, D. Thomas Conrado, D. Sebastianus Lopez de Avalos, D. Nicolaus de Fuen Ladrada, D. Nicolaus de Angulo, D. Joannes Sanchez, et D. Alphonsus Zarate. De his testatur P. Florencia quod pictores erant examinati, et approbati, atque multos per annos in sua arte versati publico plausu. Illi ergo, juramento coram judicibus ecclesiasticis prout de jure praestito, praevia diligenti Sanctae Imaginis recognitione, et juxta artis regulas judicantes, unanimiter asseruerunt e talem Imaginem

(1) Ita constat in Directorio Ecclesiastico Mexicanae Archiepiscopos: atque etiam illud annuntiant catholici scriptores die 11 Decembris. V. *La Voz de México, El Tiempo.*

in palliolo (*Ayatl*) Joannis Didaci fuisse depictam, opus esse supernaturale, et secretum Divinae Majestati reservatum: "Que el estar en el Ayate ó Tilma del dicho Juan Diego, estampada la dicha Imagen de Nuestra Señora de Guadalupe, fue y se debe atribuir y entender haber sido obra sobrenatural y secreto reservado á la Divina Magstad." (1)

Peritiam horum pictorum etiam testatur Cabrera. (2)

Adsciti quoque fuere Medici tres, Doctorali laurea decorati, et Cathedras obtinentes in Mexicana Universitate, qui, utpote periti in physicis rebus, de Sacrae Imaginis conservatione judicium ferrent. Illi autem, loci adjuncta perpendicularitates, quoniam Sacra Imago servata est circa ripam lacus de *Texcuco*, ventis humidis, et callidis afflantibus, et etiam nitro nocente, tam longo temporis spatio, scilicet, centum et triginta et quinque annorum, qui ab Apparitione transierant, juxta naturae leges Imaginem jam destructam fuisse, inevitabile dixerunt; et non nisi miraculose per illud tempus illaesa sua forma, et vividis coloribus, in *ayatl* depicta B. M. V. de Guadalupe Imago potuisse permanere. (3)

Si autem Sacrae Imaginis per centum et triginta et quinque annos conservatio, ventis humidis, et callidis, et nitro in contrarium agentibus, peritorum judicio miraculosa dici debuit, opportunum ducimus animadvertere, ut hujus judicii firmitas magis ac magis percipiatur, in illis

(1) Videantur haec fusius apud Florencia, Estrella del Norte de México, cap. 13, § 4, núm. 136. et sequentibus.—Videantur etiam Uribe, Dissert. Histor.-critica sobre la Aparicion de Nuestra Señora de Guadalupe, § XI; et Tornel, La Aparicion de Nuestra Señora de Guadalupe, tom. 1, cap. XI.

(2) Escudo de armas de México, lib. 3, cap. 12, núm. 619.

(3) Videatur hoc fusius apud Florencia, opere et cap. cit. § 5.—Videantur etiam Cabrera, opere, lib. et cap. cit., núm. 620, et Tornel opere et cap. cit.

135 annis includi centum et sexdecim anni, quibus Sacra Imago crystalli protectione caruit, (1) ac proinde facilius adversus eam destructionis causae agere potuerunt; atque etiam in his 116 annis, quibus Sancta Imago absque crystalli protectione permansit, includi anni fere quinque, quibus Mexicea in Cathedrali detenta fuit, scilicet, ab anno 1629 ad annum 1634, (2) quo tempore, aquis urbem inundantibus, ab humidi aeris pernicie, nec intra templum maximum poterat defendi.

Nec solum aeris humidi, et callidi, et nitri perniciei exposita fuit Imago B. M. V. de Guadalupe, maxime dum per 116 annos, absque crystalli protectione permansit; verum etiam candelarum ardentium, et incensi fumo continuo, et pulveri, et fidelium tactui, et osculis, et fritionibus, quae nullatenus vitari poterant, propter tactum physicum rosariorum, numismatum, et imaginum, etc., (3) quae omnia, pio affectu, postquam originalem Imaginem physice tetigerant, fideles secum afferebant: vel etiam illae imagines in aliis templis collocabantur. Cum autem de incenso loquitur, cujus fumo Sacra Imago de Guadalupe exposita fuit, caveat lector ne intelligat de solo incenso in Missa solemni, sed de incenso continuo: nam constat primis temporibus alternatim per hebdomadas ex Quauhtitlan foeminas Tepeyacac adire ut coram Imagine B. V. de Guadalupe incensum juxta suam devotionem cremarent. (4)

Consuetudo tangendi physice ad Sacram Imaginem de

(1) Cabrera, Escudo de Armas de Mèxico, lib. 3, cap. 17, núm. 705.

(2) Cabrera, ib. lib. 3, cap. 18, núm. 712 et seq.

(3) Uribe, Diser. hist. critic, sobre la Aparicion, § 11, pág. 226 et seq.

(4) V. Florencia, Estrella del Norte de México, cap. 13, § I, núm. 109. Quanto tempore id fuerit in usu non dicit hic auctor.

Guadalupe imagines, etc. nec postea cessavit: refert enim Dr. Uribe, (1) qui scripsit declinante jam saeculo XVIII, adhuc eo tempore causas non defuisse ut quinque aut sex vicibus in unoquoque anno, per duas circiter horas, absque crystallo Sacra Imago reverenter aspiceretur, atque tunc et immediate a fidelibus osculari, et ut innumera numismata, et rosarios, et Imagenes, etc., ipsam sacram Imaginem physice tangerent permissum erat.

Pio animo facta sunt haec; verum valde imprudenter: Dominus enim Sacram Imaginem B. M. V. de Guadalupe benignissima pietate nobis concessit; non tamen conservationem ejus promisit; unde diligentissime tam venerabilis Imago servari debet; et valde improbandum quod destructionis causae fuerint appositae. Dubitari nequit, juxta naturae leges tot destructionis causas jam pridem ruinam Sacrae Imagini allaturas fuisse, nisi Dominus illam conservare voluisset. Insuper timendum ne propter peccata nostra tanto dono aliquando careamus.

Anno 1751 rursus examini et judicio pictorum peritissimorum subjecta fuit mirabilis Imago B. M. V. de Guadalupe. Illi pictores fuere D. Michael Cabrera, qui caeteris praefuit, D. Joseph Ibarra, D. Emmanuel de Osorio, et D. Joannes Patritius Morlete Ruiz. Horum judicio stabilitum fuit Imaginem B. M. V. de Guadalupe supernaturaliter esse depictam in ayatl Joannis Didaci. Inde prodiit opusculum D. Michaelis Cabrera, cui titulus *Maravilla Americana* etc. (quod in 1.^a Parte hujus Dissertationis integrum inseritur), quod approbaverunt et caeteri pictores memorati, et tres alii, scilicet, D. Franciscus Antonius Vallejo, D. Joseph de Alcibar, et D. Joseph Arnaez; qui etiam diligenter inspexerant Sacram Imaginem. Supernaturaliter depictam Imaginem B. M. V. de Guada-

(1) Ubi supra.

lupe probatum fuit. (1) Nullatenus dubitandum de horum pictorum peritia, quibus, et qui praefuit, ab omnibus praeclarissimus habetur, scilicet, D. Michael Cabrera.

Versus finem saeculi proxime acti tertio Venerabilis Imago peritorum virorum judicio subjecta fuit: quod ita factum est. Dr. Joseph Ignatius Bartolache, qui Theologiae et Jurisprudendiae operam dederat, qui Medicinae lauream doctoralem obtinuit, necnon et Matheseos, et Physicae, et Chimicae scientiarum peritus evaserat, atque in arte pingendi plus quam medioeriter fuit instructus, tertiam inspectionem Guadalupensis Imaginis fieri curavit; atque ita processit: Ayatl simile illi in quo Imago depicta est, exquisita diligentia fecit elaborari; atque a Collegiatae Capitulo obtinuit ut Sacra Imago, absque crystallo, a pictoribus electis, et coram publico tabellione, et aliis testibus inspiceretur: ac deinde, qui inter illos pictores ab ipsis eligeretur, in parato ayatl imaginem Guadalupensem depingeret, quae originalem quo melius fieri posset imitaret, quatuor aliis pictoribus picturam, quoties conveniens existimarent videntibus dum eficeretur, quaeque animadvertere occurreret, animadvertentibus.

Haec ergo Imago, quae ita pulchra evasit, ut omnes illam admirarentur; atque etiam alia imago a D. Raphael Gutierrez similiter in ayatl depicta, in Ecclesiam Collegiatam deductae sunt, ut cum originali Guadalupensi Imagine compararentur, quod quidem eo temporis spatium, atque illa diligentia factum est, ut peritis omnino fieret satis. Quinque pictores coram publico tabellione hanc fecerunt comparisonem, scilicet Andreas Lopez,

(1) Uribe. Dissert. Hist. crit. sobre la Aparicion, etc. § 11. —Tornel. La Aparicion de N. Señora de Guadalupe, tom. 1, cap. 11.—V. Opusculum Michaelis Cabrera, et pictorum approbationes in 1^a Parte hujus Dissertationis.

Raphael Gutierrez, Marianus Vasquez, Emmanuel Garcia, Robertus Gutierrez: hi autem omnes affirmarunt nullam praedictarum imaginum originalem identice repraesentare; *que ninguna de las dos imagenes cotejadas era copia identica de la original*. Bartolache dicit pingendi modum in originali Imagine Guadalupensi esse inimitabilem, quantalibet adhibeatur diligentia, quod asserit se ipsum semper ita judicasse. Atque hac vice, ut ipse asserit, et palpavit, et pluribus aliis ostendit.

Praedicti pictores coram publico tabellione a Bartolache interrogati, utrum juxta suae facultatis regulas, atque omni deposita affectione, sacram Imaginem miraculose depictam judicarent? Responderunt ita quidem esse quantum ad illud quod in ipsa Imagine substantiale est et primitivum; nullatenus vero in illis, quae manu audaci posteriori tempore adjecta esse apparebant. (Testantur enim graves auctores aliquando, pio quidem animo, sed barbaramente et ignoranter, circum sacram Imaginem Querubim pictos fuisse, atque etiam aurum superaditum fuisse in radiis Solis, quibus Imago circumdatur, et argentum in Luna). Haec quae posterius sacrae Imagini addita sunt, temporis progressu in deterius veniunt, et etiam cadunt: aliquid autem ex additis adhuc stare quando haec Imaginis inspectio facta fuit, constat ex pictorum adducto testimonio. Haec omnia testata sunt anno 1787. (1)

Ex his colligitur, non modo caeteras Apparitiones B. M. V. Joanni Didaco, verum etiam ipsius Imaginis de Guadalupe apparitionem veram esse dicendam.

(Pro hujus argumenti explanatione videatur opusculum D. Michaelis Cabrera; Maravilla Americana, etc., et ejus approbationes in 1^a Parte hujus Dissertationis).

(1) V. Tornel, La Aparicion de Nuestra Señora de Guadalupe, etc., tom. 1, cap. 12, ubi haec omnia fusius narrat.

ARGUMENTUM DECIMUM TERTIUM.

*Veritas Apparitionis comprobatur per miracula, quae
B. M. V. de Guadalupe invocata, Dominus
operatus est.*

Operis ergo pretium est de his miraculis nonnihil, etsi breviter, dicere. Et primo quaedam adducentur testimonia, quae de illis generaliter fidem faciunt: deinde aliqua miracula (brevitati consulendo) narrabuntur.

Sit igitur primum testimonium Bernardi Diaz del Castillo, qui miles affuit debellationi Mexici urbis ab hispanis, et in ea, quam scripsit Historia atque finivit anno 1568, ita loquitur: "Miren la Santa Casa de Nuestra Señora de Guadalupe que está en lo de Tepeaquilla (Tepeyacac) . . . y miren los santos milagros que ha hecho y hace cada día." (1) Notant autem scriptores hunc auctorem nihil pronum fuisse ad mirabilia admittenda: propterea quod testimonium ejus majorem habet vim, dum miracula asserit facta esse B. M. V. de Guadalupe invocata.

Sit secundum testimonium Fr. Ludovici de Cisneros, qui scripsit anno 1616, et ita ait de Imagine B. M. V. de Guadalupe ad Tepeyacatl. "Es una Imagen de gran devocion y concurso, casi desde que se ganó la tierra, que hace y ha hecho muchos milagros." (2)

Tertium sit testimonium ex sexta lectione Matutin in Officio B. M. V. de Guadalupe a SS. D. Benedicto XIV approbato, ubi de Sacra Imagine de Guadalupe, sic dicitur: "Magnifico excepta templo, ingenti colitur populorum ac miraculorum frequentia."

(1) Locum litteraliter adducunt Oquendo, *Disert. histor. sobre la Aparicion*, tom. 2, cap. 7, § 4, núm. 510.—Tornel, *La Aparicion de N. Señora de Guadalupe*, tom. I, c. 13, núm. 215.

(2) Locum litteraliter adducunt Oquendo, *opere tom. et cap. cit.*, § 2, núm. 487.—Tornel ubi supra, núm. 216.

Nunc autem nonnulla mirabilia specialiter referre est opportunum.

Eo ipso die, quo a Rmo. Zumarraga Sacra Imago de Guadalupe in primo Tepeyaquensi Templo collocata fuit, cum indi, solemnitatis causa simulacrum belli fecissent, extra intentionem accidit quod sagitta indum quemdam in collo percussit: atque illum, vel jam vitam exhalantem, vel penitus mortuum, ad Sacram Imaginem detulerunt, Deiparam cum dolore et lacrymis pro illo deprecantes. Indus ergo, qui percusus fuerat, vivus et sanus surrexit. (1)

Equo incedens e Mexico in Tollantzinco iter faciebat juvenis quidam: dum ergo iter faceret, equus freni subjectioni sese subducens, velocissime cucurrit, et juvenem e ephippio ejectum, et pede e scandula suspensum, traxit per solum lapidesque raptatum per spatium leucae circiter dimidia: verum B. M. V. de Guadalupe juvenis invocavit; atque, equo sistente, sanus inventus est. Tam mirabile beneficium pictis coloribus repraesentatum in Templo Tepeyaquensi videbatur adhuc cum scripsit P. Florencia opus cui titulus, *La Estrella del Norte de México*. (2)

Plaga insanabili infirmabatur Fr. Petrus de Valderama, nec aliud agendum medici arbitrabantur nisi pedem illi amputare: ductus autem praedictus Valderrama in Templum Tepeyaquense, Deiparam coram ejus

(1) V. antiqua Narratio Apparitionis mexicanae scripta, et a Lazo de la Vega typ. edita; ubi miracula narrat.—Florencia, *Estrella del Norte de México*, cap. 19, núm. 227. Animadvertendum, miracula B. M. V. de Guadalupe a diversis auctoribus narrari; sed brevitate causa unum aut alterum auctorem citare sufficiat.

(2) Florencia ib. núm. 232 et 233. V. etiam Narratio Mexicana Apparitionis supra cit. ubi de miraculis.